

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

## **M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens De Philosophia Volumen Secundum

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

In M Tvillii Ciceronis Ex Timaeo Platonis De Vniversitate Librvm  
Commentariivs

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



I N  
M. TVLLII. CICERONIS  
EX. TIMAEO. PLATONIS  
DE. VNIVERSITATE  
LIBRVM  
COMMENTARIVS



CICERO



**M**ULTA sunt a nobis & in Academicis conscripta contra physicos; & saepe cum P. Nigidio, Carneadeo more, & modo disputata: fuit enim uir ille cum ceteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer inuestigator, & diligens earum rerum, quae a natura innolatae uidentur. denique sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodam modo, cum aliquot saecula in Italia, Siciliaq. uigisset, hunc extitisse, qui illam renouaret. qui cum me in Ciliciam proficiscentem Ephepsi expectauisset, Romam ex legatione ipse decedens; uenissetq. eodem Mitylenis, mei salutandi, & uisendi causa, Cratippus, Peripateticorum omnium, quos quidem ego audiuerim, meo iudicio facile princeps: perlibenter & Nigidium uidi, & Cratippum cognoui. ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percunctatione consumpsimus.

Desunt multa.

quid est, quod semper sit, neque ullum habet ortum, & quod gignatur, nec unquam sit? quorum alterum intelligentia, & ratione comprehenditur, quod unum semper, atque idem est: alterum, quod affert opinionem per sensus, rationis expers, quod totum opinabile est, id gignitur, & interit, nec unquam esse uere potest. omne autem, quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est: nullius enim rei, causa remota, reperiri origo potest. quocirca, si is,

qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem quae semper est eadem, intuebitur, atque eam sibi proponet exemplar, praeclarum opus efficiat necesse est. si autem illam, quae gignitur: numquam illam, quam expetet, pulchritudinem consequetur. omne igitur caelum, siue mundus, siue quo alio uocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit. de quo id primum consideremus, quod principio est in omni quaestione considerandum, semper ne fuerit nullo generatus ortu, an ortus sit, an ab aliquo temporis principatu ortus est, quandoquidem cernitur, & tangitur, & est undique corporatus. omnia autem talia sensum mouent: sensusq. mouentia quae sunt, eadem in opinione considunt: quae ortum habere, gigni, diximus, nihil autem gigni posse sine causis. atque illum quidem quasi parentem huius uersitatis inuenire difficile: & cum iam inuenieris, indicare in uulgus nefas. rursus igitur uidendum, ille fabricator tanti operis utrum sit imitatus exemplar, id ne quod semper unum, & idem, & sui simile, an id, quod generatum, ortumq. dicimus. Atqui, si pulcher est hic mundus, si probus eius artifex profecto speciem aeternitatis imitari maluit. si secus, quod ne dictu quidem fas est: generatum exemplum est pro aeterno secutus. non igitur dubium, quin aeternitatem maluerit exsequi, quandoquidem neque mundo quidquam pulchrius, neque eius aedificatore praestantius. si ergo generatus, ad id effectus, quod ratione, sapientiaq. comprehenditur, atque immutabili aeternitate continetur. ex quo efficitur, ut sit necesse hunc, quem cernimus, mundum, simulacrum aeternum esse alicuius aeterni. difficillimum autem est in omni conquisitione rationis exordium. de ijs igitur, quae diximus, haec sit prima distinctio. in omni oratione cum ijs rebus, de quibus

bus explicandum uidetur, esse cognitio. itaque, cum de re stabili, & immutabili disputatur, oratio talis sit, qualis sit illa, quae neque redargui, neque conuinci potest. cum autem ingressa est imitata, & essecta simulacra, bene agi putat, si similitudinem ueri consequatur. quantum enim ad id, quod ortum est, aeternitas ualet: tantum ad fidem ueritas. quo circa, si forte de deorum natura, ortuq. mundi differen-

tes, minus id, quod habemus animo, consequimur, ut tota dilucide, & plane exornata oratio sibi constet, & ex omni parte secum ipsa consentiat: haud sane erit mirum: contentiq. esse debebitis, si probabilia dicentur: ac quum est enim meminisse, & me, qui differam, hominem esse, & uos, qui iudicatis: ut, si probabilia dicentur, nil ultra requiratis.

## EXPLANATIO

**EXPLICANDUM uidetur, esse cognitio.** § Verba Platonis in Timaeo haec sunt: *ὅς ἀπὸ τοῦ νοῦ, ὅνπερ εἰσιδέμεθα, τούτων αὐτῶν ἡ συγγενεῖς ὄντας.* ex quibus apparet legendum esse, Cognatio, non, Cognitio: ut fortasse ita locus restituendus sit: In omni oratione, cum ijs rebus, de quibus explicatur, uidetur esse cognatio. Haec Paullus pater.

## CICERO

**QVAERAMVS** igitur causam, quae eum impulerit, qui haec machinatus sit, ut originem rerum, & molitionem nouam quaereret. probitate uidelicet praestabat: probus autem inuidet nemini: itaque omnia sui similia generauit. haec nimirum gignendi mundi causa iustissima. nam, cum constituisset deus bonis omnibus exple re mundum, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur: quid quid erat, quod in cernendi sensum caderet, id sibi assumpsit, non tranquillum, & quietum, sed immoderate agitatnm, & fluctuans: idq. ex inordinato in ordinem adduxit: hoc enim indicabat esse praestantius. fas autem nec est, nec unquam fuit, quidquam nisi pulcherrimum facere eum, qui esset optimus. cum rationem igitur habuisset, reperiebat nihil esse eorum, quae natura cernerentur, non intelligens intelligente in toto genere praestantius. quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. sic rarus est opus illud effectum esse pulcherrimum. quam ob causam non est cunctandum profiteri, si modo inuestigari aliquid coniectura potest, hunc mundum animal esse, idq. intelligens, & diuina prouidentia constitutum. hoc posito, quod sequitur uidendum est, cuiusnam animantium deus in fingendo mundo similitudinem secutus sit. nullius profecto, eorum quidem, quae sunt nobis nota animantia: sunt enim omnia in quaedam genera partita, aut inchoata, nulla ex parte perfecta: imperfecto autem nec absoluto simile, pulchrum esse nihil potest. cuius ergo omne animal quasi particula quaedam est, siue in singulis, siue in uniuerso genere cernatur, eius similem mundum esse dicamus. omnes igitur, qui animo cernuntur, & ratione intelliguntur, animantes, complexu rationis, & intelligentiae, sicut homines, hoc mundo, & pecudes, & omnia quae sub adspicuum cadunt, comprehenduntur: quod enim pulcherrimum in rerum natura intelligi potest, & quod ex omni parte absolutissimum est; cum deus simi-

lem mundum efficere uellet, animal unum, adspicibile, in quo omnia animalia continerentur, efficit. recte ne igitur unum mundum dixerimus, an sint plures, an innumerabiles, dictu uerius, & melius, unus profecto, si quidem factus est ad exemplum. quod enim omnes animantes eos, qui ratione intelliguntur, complectitur, id non potest esse cum altero: rursus enim alius animans, qui eum contineat, sit necesse est, cuius partes sint animantes superiores, caelumq. hoc simulacrum illius ultimi sit, non proximi. quorum ne quid accideret, atque ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso, quod solus, atque unus esset, iccirco singularem deus hunc mundum, atque unigenam procreauit. Corporeum autem, & adspicibile, itemq. tractabile omne necesse est esse, quod natum est. nihil porro igni uacuum uideri potest: nec uero tangi, quod careat solido: solidum autem nihil, quod terrae sit expers. quamobrem mundum efficere moliens deus, terram primum, ignemque iungebat. omnia autem duo ad cohaerendum tertium aliquid anquirunt, & quasi nodum, uinculumq. desiderant. sed uinculorum id est aptissimum, atque pulcherrimum, quod ex se, atque de his, quae adstringit, quam maxime unum efficit. id optime assequitur, quae Graece *ἀναλογία*, Latine (audendum est enim, quoniam haec primum a nobis nouantur) comparatio, proportio uel dici potest. quando enim trium uel numerorum, uel figurarum, uel quorumcumque generum contingit, ut quod medium sit, uti primum proportionis, ita id postremo comparatur, uicissimq. ut extremum cum medio, sic medium cum primo confertur: id, quod medium est, tum primum sit, tum postremum; postrema uero, & prima media sunt. ita necessitas cogit, ut eadem sint ea, quae deinceps fuerunt. eadem autem cum facta sint, efficitur, ut omnia sint unum.

## EXPLANATIO

**IN uniuerso genere** § Visum est hoc esse rectius, quam, ut antea, In diuerso. uertit hunc locum Cicero, quod attinet ad ordinem uerborum, paullo liberius. Haec Paullus pater. **RECTE ne igitur** &c. § Videtur ita in corrigendum: Recte ne igitur unum mundum dixerimus; an fuit, plures, & innumerabiles; dictu

dictu'uerius, & melius: transtulit enim Platonis locum totidem uerbis: quem subiiciemus, ut, si quis uelit, conferre possit. *πότερον οὖν ὀρθότερον, ἢ ἐναυράνον προσερίκαμεν; ἢ πολλότερον, ἢ ἀπείρου, λέγειν ἢ ὀρθότερον.* Haec Paullus pater. DEIVNCTA  $\xi$  Ex sensu, & Platone corrigo, Deuincta. Haec Paullus pater.

## CICERO

QVOD si uniuersitatis corpus planum, & aequabile explicaretur, neque in eo quidquam esset requisitum: unum interiectum medium & se ipsum, & ea, quibus esset interpositum, colligaret. sed, cum soliditas mundo quaereretur, solida autem omnia uno medio nunquam, duobus semper copulentur, ita contingit, ut inter ignem, & terram aquam deus, animamq. poneret, eaq. inter se compararet, & proportionem coniungeret, ut, quemadmodum ignis animae, sic anima aquae, quodq. anima aquae, id aqua terrae proportionem redderet. qua ex coniunctione caelum ita aptum est, ut sub aspectum, & tactum cadat. itaque & ob eam causam, & ab ijs rebus numero quattuor mundi est corpus effectum, ea constructum proportionem, qua dixi: ex quo ipse se concordia quadam amicitia, & caritate complectitur; atque ita apte cohaeret, ut dissolui nullo modo queat, nisi ab eodem, a quo est colligatus. earum autem quattuor rerum, quas supra dixi, sic in omni mundo omnes partes collocatae sunt, ut nulla pars huiusmodi generis excederet extra, atque in hoc uniuerso inessent genera illa uniuersa. id ob eas causas, primum ut mundus animans possit ex perfectis partibus esse perfectus, deinde ut unus esset, nulla parte, unde alter gigneretur, relicta, postremo ne quis morbus eum possit, aut senectus affligere: omnis enim coagmentatio corporis uel calore, uel frigore, uel aliqua impulsione uehementi labefactatur, & frangitur, & ad morbos, senectutemq. compellitur. hanc igitur habuit rationem effectorem mundi, molitorq. deus, ut unum opus totum, atque perfectum ex omnibus totis, atque perfectis absolueretur, quod omni morbo, senio ue careret. formam autem & maxime sibi cognatam, & decoram dedit. a quo enim animante omnes reliquos contineri uellet animantes, hunc ea forma figurauit, qua una omnes reliquae formae concluduntur: et globosus est fabricatus: quod *σφαιροειδής* Graeci uocant: cuius omnis extremitas paribus a medio radijs attingitur. idq. ita tornauit, ut nihil effici possit rotundius, nihil ut asperitatis haberet, nihil offensio-

nis, nihil inclusum angulis, nihil amfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum, omnesq. partes simillimae omnium, quoad eius praestabat iudicio dissimilitudini similitudo. Omni autem totam figuram mundi leuitate circumdedit: nec enim oculis egebat, quia nihil extra, quod cerni posset, relictum erat; nec auribus, quia ne quod audiretur quidem: neque erant anima circumfusa extrema mundi, ut respirationem requireret: nec uero desiderabat aut alimentum corporis, aut detractionem confecti, & consumpti cibi: neque enim ulla decessio fieri poterat, neque accessio. neque uero erat unde: ita se ipse consumptione, & senio alebat sui, cum ipse per se, & a se & pateretur, & faceret omnia. sic enim ratus est ille, qui ista iunxit, & condidit, ipsum se contentum esse mundum, neque egere altero. itaque nec ei manus affixit, quia nec capiendum quidquam erat, nec repellendum; nec pedes, nec alia membra, quibus ingressus corpore sustineret: motum enim dedit caelo eum, qui figurae eius sit aptissimus, qui unus ex septem motibus mentem, atque intelligentiam cohiberet maxime. itaque una conuersione, atque eadem ipse circum se torquetur, & uertitur. sex autem reliquos motus ab eo separauit: itaque eum ab omni erratione liberauit. ad hanc igitur conuersionem, quae pedibus, & gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit. haec deus is, qui erat, de aliquando deo futuro cogitans, leuem eum effecit, & undique aequabilem, & a medio ad summum parem, & perfectum, atque absolutum ex absolutis, atque perfectis. animum autem ut in eius medio collocauit, ita per totum tetendit: deinde eum circumdedit corpore, & uestiuit extrinsecus: caeloq. soliuago, & uolubili, & in orbem incitato complexus est, quod secum ipsum propter uirtutem facile esse posset, nec desiderare alterum, satis sibi ipse notus, & familiaris. sic deus ille aeternus hunc perfecte beatum deum procreauit. sed animum haud ita, ut modo locuti sumus, tum denique cum corpus ei effecisset, inchoauit: neque enim esset rectum minori parere maiorem.

## EXPLANATIO

ALTERA gigneretur,  $\xi$  Alter, legendum esse, & sensus, & uerba Platonis ostendunt. mirum autem, tam multis mendis hunc de Vniuersitate librum ad hanc diem refertum fuisse, cum ex collatione Platonis non ille quidem ubique, sed certe plurimis in locis potuerit emendari. Haec Paullus pater. CONCLVDUNTUR: & globosus  $\xi$  Recte: neque mutatione opus est. Graece tamen sic: *δίοξ σφαιροειδής*. quod est, Quare & globosus. Haec Paullus pater. QVOD ad eius praestabat iudicio dissimilitudini similitudo.  $\xi$  Sensus requirit, ut legatur, Quod eius: idq. potius Graeca uerba significant: *νομίστας μὲν καλλίον δεῖν ἀνομιόν.* Haec Paullus pater. INGRESSVS corpore sustineret:  $\xi$  Maffei liber, Ingressurus corpus sustineret. ueram lectionem puto, Ingressus corpus sustineret. Graeca uerba, *οὐδ' ἄλλως τῆς περὶ τὴν βίασιν ὑπηρεσίας.* Haec Paullus pater. FIGURAE eius  $\xi$  Antea, Figuratus. nos Graeca uerba secuti, Figurae eius, emendauimus, & proxime, Cohiberet maxime, cum antea legeretur, Cohiberet. maxima. quo loco sententiam distinctio etiam mutabat. Haec Paullus pater. QVI erat,  $\xi$  Graeca lectio, *ὄντος ἀπὸ λογισμοῦ θεοῦ*: ut uideatur legendum, Qui semper erat. Haec Paullus pater.

CICERO

## CICERO

**S**ED nos multa inconsiderate, ac temere dicimus. deus autem & ortu, & uirtute antiquiorem genuit animum, cumq. ut dominum, atque imperantem oboedienti praefecit corpori: idq. molitus tali quodam modo ex materia, quae indiuidua est, et quae semper uniusmodi, suiq. similis, & ex ea, quae corporibus diuidua gignitur, tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset eiusdem naturae, & quod alterius: idq. interiecit inter indiuiduum, atque id, quod diuiduum esset in corpore. ea cum tria sumpsisset, unam in speciem temperauit: naturamq. illam, quam alterius diximus, uel cum eadem coniunxit fugientem, & eius copulationis alienam permiscens cum materia, cum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea, quae decuit, membra partitus est. iam partes singulas ex eodem, & ex altero, & ex materia temperauit. fuit autem talis illa partitio. unam principio partem detraxit ex toto: secundam autem primae partis duplam: deinde tertiã, quae esset secundae sesquialtera, primae tripla: dein de quartam, quae secundae dupla esset: quintam inde, quae tertiae tripla: tum sextam octuplam primae: postremo septimam, quae septem, et uiginti partibus antecederet primae. deinde instituit duplam, & triplam interualla exple, partes rursus ex toto desecans. quas interuallis ita locabat, ut in singulis essent bina media: uix enim audeo dicere medietates, quas Graeci μεσότητες appellant: sed quasi ita dixerim, intelligatur: erit enim planius. earum alteram, eadem parte praestantem extremis, eademq. supera-

tam, alteram pari numero praestantem extremis, pariq. numero superatam. sesquialteris autem interuallis, & sesquiterijs, & sesquioctauis sumptis ex his colligationibus in primis interuallis, sesquioctauo interuallo, sesquiteria omnia explebat, cum particulam singulorum relinqueret: eius autem particulae interuallo relicto, habebat numerus ad numerum eandem proportionem, comparationemq. in extremis, quam habent CCXVI cum CCXLIIT. atque ita permiscuit illud, ex quo haec secuit, iam omne consumpserat. hanc igitur omnem coniunctionem, & duplicem in longitudinem diffidit: mediaeq. accommodans mediam, quasi decussauit: deinde in orbem torsit, ut & ipsae secum, & inter se, ex commissura, quae e regione esset, iungerentur: eoque motu, cuius orbis semper in eodem erat, eodemq. modo ciebatur, undique est eas circumplexus. atque ita, cum alterum esset exteriorum amplexus orbem, illum eiusdem naturae, hunc alterius nominauit: eamque, quae erat eiusdem, detorsit a latere in dextram partem; hanc autem citimam a media linea direxit ad laeuam: sed principatum dedit superiori, quam solam indiuiduam reliquit. interiorum autem cum in sex partes diuisisset, septem orbis dispares duplo, & triplo interuallo moueri iussit, contrarijs inter se cursibus. eorum autem trium fecit pares celeritates, sed quattuor et inter se dispares, & dissimiles trium reliquorum.

## EXPLANATIO

**N**ATURAMQ. illam, quam alterius diximus, uel cum eadem coniunxit & Vel, expungendum; &, Vi reponendum. τὴν ἑτέρου φύσιν δὲ συμκτον ὄσαν εἰς ταυτὸ συναρμόσιον βίη. Errori caulam praebuit similitudo: quia scribebant ueteres, Vei, pro Vi. unde factum ab imperitis librarijs Vel. qua coniectura ducti, olim emendauimus locum illum in Tulc. 1. Quasi uero ista ui quidquam, ubi legebatur, Ita uel. Haec Paullus pater. **PERMISCENS cum materia,** & Distinguendum a superioribus, &, Autem, addendum: ut legatur, Permiscens autem cum materia. μίγνυς δὲ μετὰ τῆς φύσεως. Haec Paullus pater. **ATQUE ita cum alterum esset exteriorum amplexus orbem,** & Et sensus, & Graeca uerba indicant haec duo uerba desiderari, Alterum interiorum: ut hic ordo sit: Atque ita cum alterum esset exteriorum, alterum interiorum amplexus orbem. quod etiam ex insequenti membro clarius ostenditur; cum subijciat, Illum eiusdem naturae, hunc alterius nominauit. Graeca uerba haec sunt: καὶ τὸν μὲν ἔξω, τὴν δ' ἐντὸς ἐποίητο τὸν κύκλον, τὴν μὲν οὐδ' ἔξω ὁρᾶν ἐπέφημισεν εἶναι ταυτοῦ φύσεως, τὴν δ' ἐν τῆς ἑτέρου. Haec Paullus pater. **EAMQUE, quae erat eiusdem, detorsit a latere in dextram partem; hanc autem citimam a media** & Ex Graecis uerbis uidetur emendandum, Eumque, qui erat eiusdem, detorsit a latere in dextram partem; hunc autem alterius, a media &c. est enim de orbibus oratio, ut in Platone perspicitur, & uerbum, Citimam, non est in Maffei libro, sed, Item, pro eo. Haec Paullus pater.

## CICERO

**A**NIMVM igitur cum ille procreator mundi deus ex sua mente, & diuinitate genuisset, tum denique omne, quod erat concretum, atque corporum, substernebat animo, interiusq. faciebat: atque ita medio medium accommodans copulabat. sic animus a medio profectus, extremitatem caeli a suprema regione rotundo ambitu circumiecit, seseq. ipse uersans, diuinae, sempiternae, sapientisq. uitae induxit

exordium. & corpus quidem caeli spectabile effectum est. animus autem oculorum effugit obtutum. est autem unus ex omnibus, rationis, contentiosisq. (ἀρμονίᾳ Graece) sempiternarum rerum & sub intelligentiam cadentium compos, & particeps: quo nihil ab optimo, & praestantissimo genitore melius procreatum: quippe qui ex eadem uinctus, alteraq. natura, adiuncta materia temperatione trium partium

partium proportionē compacta, se ipse conuersans, cum materiam mutabilem arripuisset, & cum rursus indiuiduam, atque simplicem, per quam omnis mouetur, discernitq. quid sit eiusdem generis, & quid alterius: & cetera diiudicat, quid cuique rei sit maxime aptum, quid quoque loco, aut modo, aut tempore contingat: quaeq. distinctio sit inter ea, quae gignantur, & ea, quae sint semper eadem. ratio autem uera, quae uersatur in ijs, quae sunt semper eadem, et in ijs, quae mutantur, cum in eodem, & in altero mouetur ipsa per sese sine uoce, & sine ullo sono, cum eandem partem attingit, qua sensus cieri potest: orbis illius generis alterius immutatus, & relictus omnia animo, mentiq. denunciat: tum opiniones, ad sensionesq. firmas, ueraeq. gignantur. cum autem in illis rebus uertitur, quae manentes semper eadem, non sensu, sed intelligentia continetur, tum cognitio, scientiaq. efficitur, atque absoluitur.

Desunt multa.

Ratione igitur, & mente diuina, ad originem temporis, curriculum inuentum est Solis, & Lunae.

Desunt non pauca.

ita uim suam natura conuertit, ut terram Lunae cursus proxime ambiret, eiq. supra terram proxima Solis circumuectio esset. Lucifer deinde, & sancta Mercurij stella cursum habent Solis celeritati parem, sed uim quandam contrariam: eaq. conuersione, quam inter se habent Lucifer, Mercurius, Sol, alij alios uincunt, uicissimq. uincuntur. Reliquorum siderum quae causa collocandi fuerit, quaeq. eorum sit collocatio, in sermonem alium differendum est, ne in eo, quod attingendum fuit, quam in eo, cuius causa id attigimus, longior ponatur oratio. quando igitur unumquodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, e quibus erat motus temporis consignandus; colligatisq. corporibus uinculis animalibus, tum animantia orta sunt, eaq. imperio parere didicerunt, tunc ex alterius naturae motione transuersa, in eiusdem naturae motum incurrentia, in eoq. haerentia, atque impedita, cum alia maiorem lustrarent orbem, alia minorem, tardiusq. maiorem, celeriusq. minorem, motu uero unius, eiusdemq. naturae, quae uelocissime mouebantur, ea celeritate uinci a tardioribus, et, cum superabant, superari uidebantur: omnis enim orbis eorum quasi facilitatis inflexione uertebatur: quam bifariam contrarie simul procedentia efficiebant, ut, quod esset tardissimum, id proximum fieret celerrimo.

## EXPLANATIO

**R**ATIONIS, contentionisq. & c. Totum hunc locum opinor ita esse corrigendum: Rationis contentionisq. (ἀρμονία Graece) compos, & particeps: quo nihil ab optimo, & praestantissimo sempiternarum rerum, & sub intelligentiam cadentium genitore melius procreatum. λογισμοῦ δὲ μετεχουσα καὶ ἀρμονίας ψυχῆ. τῶν νοητῶν αἰεὶ τε ὄντων ὑπὸ τοῦ ἀρίστου, ἀρίστη γενομένη τῶν γεννηθέντων. Haec Paullus pater. **QU**IPPE qui & c. Hic locus ex Graecis uerbis ita corrigendus. Quippe qui ex eadem iunctus, alteraq. natura, adiuncta materia, temperatione utrumque partium, proportionē compactus, se ipse conuersans, cum materiam mutabilem arripuit, & cum rursus indiuiduam, atque simplicem, in se omnis mouetur, & c. Haec Paullus pater. **R**ATIO autem uera, & Alij, Ratio autem utraque: non recte. iisdem enim uerbis Graeca lectio respondet: λόγος δὲ ἀληθής. Haec Paullus pater. **S**INE uoce, & sine ullo sono, & Si quis Graecam lectionem sequatur, intelliget addendum reuoluta: φερόμενος ἀνευ φθόγγου καὶ ἡχῆς. & quod sequitur, legendum, Cum eam partem, non, Cum eandem partem, ex Graecis uerbis, ὅταν μὲν περὶ τὸ ἀσθητὸν γένηται. Haec Paullus pater. **O**RBS illius generis alterius & ut hoc totum sine interpiratione cum superioribus continetur, & omnia referantur ad illud, Tum opiniones; crederem legendum, Orbisq. illius generis alterius: ex Graecis uerbis, καὶ ὁ τοῦ θατέρου κύκλος. quae etiam uocem, Illius, abundare significant. Haec Paullus pater. **I**TA uim suam & Recte a superioribus interuallo distinctum: nam ad quinquaginta uersus intercepti sunt. Haec Paullus pater. **Q**UANDO igitur & c. Hoc totum si cum Graeco conferas, intelliges ad hunc fere modum esse restituendum: Quando igitur unumquodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, quibus erat motus temporis consignandus: colligataq. corpora uinculis animalibus animantia orta sunt: tum imperio parere didicerunt. Haec Paullus pater.

## CICERO

**A**TQUE, ut esset mensura quaedam euidentis, quae in istis octo cursibus celeritates, tarditatesq. declararet; deus ipse Solem, quasi lumen, accendit ad secundam supra terram ambitum, ut quam maxime caelum omnibus colluceret, animantesque, quibus ius esset doceri, ab eiusdem motu, & ab eo, quod simile esset, numerorum naturam, uimq. cognoscerent. nox igitur, & dies ad hunc modum, & ob has generata causas, unum circuitum orbis efficit sapientissimum, atque optimum: mensis autem, quan-

do Luna lustrato suo cursu Solem consecuta est: annus, ubi Sol suum totum confecit, & peragrauit orbem. ceterorum autem siderum ambitus ignorantes homines, praeter admodum paucos, neque nomen appellant, neque inter se numero commetiuntur: itaque nesciunt hos siderum errores id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudinem infinitam, uarietate admirabili praeditos. attamen illud perspicui, & intelligi potest, absoluto, perfectoque numero temporis, absolutum, perfectumq. annum, tunc compleri

compleri denique, cum se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerūt, cumq. eos per mensus est idem, & semper sui similis orbis. has igitur ob causas nata astra sunt, quae per caelum penetrantia solstitiali se, & brumali reuocatione conuerterent, ut hoc omne animal, quod uidemus, esset illi animali, quod sentimus, ad aeternitatis imitationem simillimum. & cetera quidem usque ad temporis ortum impressa ab illis, quae imitabatur, effinxerat. sed, quia nondum omne animal in mundo intus incluserat, ex ea parte deficiebat ad propositum exemplar imaginis similitudo. quot igitur, & quales animalium formas mens, in speciem rerum influens, poterat cernere, totidem, & tales in hoc mundo secum cogitauit effingere. erant autem animantium genera quattuor, quorum unum diuinum, atque caeleste, alterum pennigerum, et aerium, tertium \* terrestre quartum. diuinae animationis maxime speciem faciebat ex igne, ita ut splendidissimus esset, & ad speciem pulcherrimus. cumq. similem uniuersitatis naturae efficere uellet, ad uolubilitatem rotundauit, comiteq. eum sapientia quam optimae mentis effecit, circumq. caelum aequaliter distribuit, ut hunc uarietate distinctum bene Graeci κέσμων, nos lucentem mundum nominaremus. dedit autem diuinis duo genera motus: unum, quod semper esset in eodem aequae, & idem in omnibus, atque uno modo celeraret: alterum, quod in anticam partem a conuersione eiusdem, & similis, pelleretur. quinque autem reliquis motibus orbem eum esse uoluit expertem, immobilem, & stantem. ex quo genere ea sunt sidera, quae infixae caelo non mouentur loco: quae

sunt animantia, eaq. diuina, ob eamq. causam suis sedibus inhaerent, & perpetuo manent. quae autem uaga, & mutabili ratione labuntur, ita generata sunt, ut supra diximus. iam uero terram altricem nostram, quae traiecto axe sustinetur, diei, noctisq. effectricem, eandemq. custodem, antiquissimam deorum uoluit esse eorum, qui intra caelum gignerentur, flexiones autem deorum, & inter ipsos deos conuersiones, quaeq. in orbibus deorum conuersiones, antecessionesq. eueniant, cumq. inter se paene contingant, eos, qui prope copulentur contraria regione, & pone quos, aut ante labuntur, quibusq. temporibus a nostro ad speciem oblitescant, rursumq. emer- si errorem incutiant rationis expertibus, si uerbis explicare eonemur, nullo posito sub oculis simulo, earum rerum frustra suscipiatur labor. Sed haec satis sunt dicta nobis. quae de deorum, qui cernuntur, quiq. orti sunt, natura praefati sumus, habeant hunc terminum. reliquorum autem, quos Graeci δαιμονας appellant, nostri opinor lares, si modo hoc recte conuersum uideri potest, & nosse, & nunciare ortum eorum maius est, quam ut profiteri scribere nos audeamus. credendum nimirum est ueteribus, & priscis, ut aiunt, uiris, qui se progeniem deorum esse dicebant. itaque eorum uocabula nobis prodiderunt. nosse autem generatores suos optime poterant: ac difficile factum est, a dijs ortis fidem non habere: quamquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur: sed, quia de suis rebus notis uidentur loqui, ueteri legi, moriq. parendum est.

## EXPLANATIO

**TERTIUM \* terrestre quartum.** Restituo, Tertium aquatile, terrestre quartum. haec enim Graeca uerba: τρίτη δὲ ἐνυδρὸν εἶδος περὶ δὲ καὶ χερσαῖον, τέταρτον. Haec Paullus pater. **CVMQ. similem uniuersitatis naturae efficere uellet,** & Nihil muto, tamen magis arrideret, Uniuersitatis figurae, quam, Uniuersitatis naturae. τῶ δὲ παντὶ προσεικάζων. Haec Paullus pater. **COMITEQ. eum sapientia quam optimae mentis effecit** & Adscribam Graeca uerba, quibus Latina haud plane respondent. τίθησι τε εἰς τὴν τοῦ κρατίστου οφεινισιν ἐκείνω ξυμπετόμενον. Haec Paullus pater. **HUNC uarietate distinctum** & Ex Maffei libro, & ex Platone, Hac uarietate distinctum, restituo. Haec Paullus pater. **IAM uero tertiam & c.** & Graeca uerba recitemus, ut, quo modo Latina sint restituenda, uideamus. γῆν δὲ τροφὴν μὲν ὑμετέραν, εἰλουμένην δὲ περὶ τὸν διὰ πάντας πόλον τεταμένον, φύλακα καὶ δημιουργὸν νυκτός τε καὶ ἡμέρας, ἐμνηχανήσατο πρώτην καὶ πρεσβυτάτην σωματίων ὁ σαέντος οὐρανοῦ γέγονε. Ex quibus apparet, Latinam orationem ita esse corrigendam. Iam uero terram, altricem nostram, quae traiecto axe sustinetur, diei noctisq. effectricem, eandemq. custodem, primam & antiquissimam corporum uoluit esse eorum, quae intra caelum gignerentur. Maffei liber non nihil hanc emendationem adiuuat: nam pro, Eorum qui, habet Eorumque: cum uera lectio sit, Eorum quae. Haec Paullus pater. **RURSUSQ. emersi errorem incutiant rationis expertibus,** & Corrigo, Terrorem incutiant, uel, ut est in Maffei libro, Horrorem incutiant. καὶ πάλιν ἀναφανόμενοι φόβον καὶ σημεῖα τῶν μετὰ ταῦτα γενησομένων τοῖς δυναμένοις λογίζεσθαι πέμπουσι. Haec Paullus pater.

## CICERO

**SIC igitur, ut ab his est traditum, horum deorum ortus habeatur, atque dicatur, ut Oceanum, Salaciamq. caeli satum, terraeq. conceptu generatos, editosq. memoremus: ex his Phorcyn, Saturnum, & opem: deinceps Iouem, atque Inuonem, reliquos, quos fratres inter se, agnatosq. usurpare, atque appellare uidemus, & eorum, ut utamur ueteri uerbo, proficiam. quando igitur omnes, & qui mouentur,**

palamq. ostenduntur, & qui eatenus nobis declarantur, quo ipsi uolunt, creati sunt: tum ad eos is deus, qui omnia genuit fatum. Haec nos, qui deorum satum orti estis, attendite: quorum operum ego parens, effectorq. sum, quae per me facta, non sunt dissoluta me inuit: quamquam omne colligat uel solui potest: sed haud quaquam boni est, ratione uinctum uelle dissoluere. sed, quoniam orti estis, immortales nos quidem esse.

esse, & indissolubiles non potestis: neququam tamen dissoluemini, nec uos ulla mortis fata periment, nec fraus ualentior, quam consilium meum: quod maius est uinculum ad perpetuitatem uestram, quam illa, quibus estis tum, cum gignebamini, colligati. quid sentiam igitur, cognoscite. tria nobis genera reliqua sunt, eaq. mortalia: quibus praetermissis, caeli absolutio perfecta non erit: omnia enim genera animalium complexu non tenebit: teneat autem oportebit, ut ex eodem ne quid absit, quae a me ipso effecta sint, quod deorum uitam possint adaequare. ut igitur mortali generentur condicione, uos suscipite, ut illa gignatis, imiteminiq. uim meam, qua in uestro ortu me usum esse meministis: in quibus qui tales creantur, ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, diuini generis appellentur, teneantq. omnium animantium principatum, uobisq. iure, & lege uolentes pareant: quorum uobis initium, Statusq. traditur a me. uos autem ad id, quod erit immortale, partem atque uitae mortalem. ita orientur animantes, quos & uiuos alatis, & consumptos sinu recipiatis. Haec ille dixit. deinde ad temperationem superiorem reuertit: in qua omnem animum uersae naturae temperans permiscebat, superisq. permixtionis reliquias fundens aequabat, eodem modo serme, nisi quod non ita incorrupta, ut ea, quae semper idem, sed a dijs secundum sumebat, atque tertium. toto igitur omnino constituto, sideribus partem numerum distribuit animorum, & singulos adiunxit ad singula, atque ita quasi in curram uniuersitatis imposuit, commonstrauitq. leges fatales, ac

necessarias, & ostendit primum ortum unum fore omnibus, cumq. moderatum, atque constantem, nec ab ullo imminutum: satis autem, & quasi sparsis animis, fore, uti certis temporum intervalis oriretur animal, quod esset ad cultum deorum aptissimum. sed, cum duplex esset natura generis humani, sic seres habebant, ut praestantius genus esset eorum, qui essent futuri uiri. cum autem animis corpora cum necessitate in se uisset, cumq. ad corpora necessitate tum accessio fieret, tum abcessio, necesse erat sensum existere unum, communemq. omnium uehementiore motu excitato, coniunctoq. naturae, deinde uoluptate, & molestia mixtum amorem, post iram, et metum, & reliquos motus animi, comites superiorum, & his etiam contrarios dissidentes: quos qui ratione reuerie, iuste nixerit: qui autem his se dederit, iniuste. atque ille, qui recte, & honeste curriculum uiuendi a natura datum consecerit, ad illud alitrum, quocum aptus fuerit, reuertetur: qui autem immoderate, & intemperate uixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet, & si ne tum quidem finem uitiorum faciet, grauis etiam iactabitur, & in suis moribus simillimas figuras pecudum, & ferarum transferetur, neque malorum terminum prius adspiciet, quam illam sequi coeperit conuersionem, quam habeat in se ipse eiusdem, & unius simul innatam, & instam: quod tum eneniet, cum illa, quae ex igne, aere, aqua, atque terra turbulenta, & rationis expertia in sederint, denique ratione depulerit, & ad primam, atque optimam affectionem animi peruenierint.

EXPLANATIO

V SURPARE, atque appellare uidemus? Passus puto esse legendum, Vsurpari, atque appellari uidemus. nam in Platone, λεγομένου ἰσμεν. Haec Paullus pater. NON sunt dissoluta me inuito? Alij, Haec sunt indissoluta me inuito. Corrigendum puto, Haec sunt indissolubilia me inuito. hoc enim Graeca uerba significant, ἀδὲ μοῦ γένόμενα, ἀλυτὰ ἐμοῦ γέ βέλονται: id est, quae per me facta sunt, non dissoluentur, si ego uolero. Cicero uertit illud, ἐμοῦ γέ βέλονται: me inuito. quod tamen eandem habet sententiam, quam haberet, me uolente: ut, qui considerabit accuratius, intelliget. Haec Paullus pater. TENEAT autem oportebit, ut ex eodem ne quid absit, quae a me ipso effecta sint, quod deorum uitam possint adaequare? Corruptus locus, & fortasse mutilus: quem ex Graecis uerbis, qui uoluerit, emendabit. δὲ δὲ, οἱ μέλλει τέλεις ἰκανῶς εἶναι, δὲ ἐμοῦ δὲ ταῦτα γειόμενα, ἢ βίον μετασχόντα θεοῖς ἰσάλοισι. ac fortasse non absurde, mutatione certe parua, sic corrigi possit: Teneat autem oportebit, ut ex eo ne quid absit. sed quae a me ipso effecta sint, deorum uitae possint adaequare. nam & Massici liber uerbum, Quod, inducit. Haec Paullus pater. SUPERISQ. permissionis? Forte, Superiorisq. permissionis. τὰ τῶν πρόθεν ὑπόλοιπα κατεχέτο μίσηων. Haec Paullus pater. NISI quod, & c. Plato sic. ἀκίρατα δ' οὐκέτι κατὰ ταῦτα ὄσαντος, ἀλλὰ δευτέρα, ἢ τρίτα: quae referuntur ad uerbum ὑπόλοιπα, ut uideatur in Cicerone legendum: Nisi quod non ita incorruptas, ut eae, quae semper idem, sed a dijs secundas sumebat, atque tertias. Haec Paullus pater. CUM autem animis corpora cum necessitate in se uisset, cumq. ad corpora necessitate tum abcessio fieret, tum accessio, necesse erat, & c. Tralatio cum Graecis uerbis non plane congruens. quod si uerius uertere quis uelit, ita scribet: Cum autem animos corporibus necessitate in se uisset, cumq. ad corpora tum accessio fieret, tum abcessio: primo necesse fuit sensum existere unum, communemq. omnium, uehementiore motu excitatum, coniunctumq. naturae. quam electionem & antiqui libri quadam ex parte probant. Graeca autem uerba haec sunt. ὁπότε δὲ σώματα συνυφύπνευσεν ἐξ ἀνάγκης, ἢ τὸ μὲν πρόσιοι, τὸ δ' ἄπιοι τοῦ σώματος ἀντῶν, πρῶτον μὲν αἰσθησὶν ἀναγκάων εἰν μίαν πᾶσιν ἐκείναι βιαιῶν παθημάτων ἔμφυτον γίγνεσθαι. Haec Paullus pater.

CICERO

QVAE cum ita designasset, seseque, si quid possea fraudis, aut uitij euenisset, extra omnem culpam, causamq. posuisset, alios in terra, alios in Luna, alios in reliquis mundi partes, quae sunt ad spatiorum temporis significationem notae constitutae, spargens quasi serebat. post autem sationem

Ff eam

eam dijs, ut ita dicam, iunioribus permittit, ut corpora mortalia effingerent, quantumq. esset reliquum ex humano animo, quod deberet accedere, id omne, & quae consequentia essent, perpolirent, & absoluerent: deinde ut huic animanti principem se, ducemq. praerberet, uitamq. eius pulcherrime regeret, & gubernaret, nisi quatenus ipse beneficijs sua culpa sibi aliquid miseriae quaereret. atque is quidem, qui cuncta composuit, constanter in suo manebat statu. qui autem erant ab eo creati, cum parentis ordinem cognouissent, hunc sequebantur. itaque, cum accipissent immortale principium mortalis animantis, imitantes genitorem, & effectorem sui, particulas ignis, & terrae, & aquae, & aeris a mundo, quas rursus redderent, mutuabantur, easq. inter se copulabant, haud isdem uinculis, quibus ipsi erant colligati, sed talibus, quae cerni non possent propter paruitatem: crebris quasi cuneolis iniectis unum efficiebant ex omnibus corpus: itemq. in eo influente, atque esfluente animo diuino ambitus illigabant. itaque illi in flumen immersi, neque tenebant, neque tenebantur, sed ut magna tum ferebant, tum ferebantur. ita totum animal mouebatur illud quidem, sed immoderate, & fortuito, ut sex motibus ueheretur: nam & ante, & pone, ad laeuam, & ad dextram, & sursum, & deorsum, modo hoc, modo illuc.

Desunt non nulla.

sed, si in splendore confedit, tum uel eadem species, uel interdum immutata redditur, cum ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os offusus, se confudit, & contulit. dextra autem uidentur, quae laeua sunt; quia contrarijs partibus oculorum, contrarias partes attingunt. respondent autem dextra dextris, laeua laeuis conuersione luminum, cum ea inter se non cohaerescunt. id fit, cum speculorum laeuitas hinc, illincq. altitudinem assumpsit, & ita dextra detrusit in laeuam partem oculorum, laeuaq. in

dextram. supina etiam ora cernuntur depulsione luminum: quae conuertens inferiora reddit, quae sunt superiora: at qui haec omnia ex eo genere sunt, quae reru adiuuant causas. quibus utitur ministerijs deus, cum optimi speciem, quoad fieri potest, efficit. sed aestimant plerique non haec adiuuantia causarum, sed has ipsas esse omnium causas, quae uim habeant refrigerandi, calfaciendi, concresecendi, liquendi. careant autem omni intelligentia, atque ratione, quae, nisi in animo, nulla alia in natura reperiantur. animus autem sensum omnem effugit oculorum. at ignis, & aqua, & terra, & aer corpora sunt, eaq. cernuntur. illum autem, qui intelligentiae, sapientiaeq. se amatorem profiteretur, necesse est intelligentis, sapientisq. naturae primas causas conquirere, deinde secundas causas rerum earum, quae necessario mouent alias, cum ipsae ab alijs mouentur. quocirca nobis sic cerno esse faciendum, ut de utroque nos quidem dicamus genere causarum, separatim autem de ijs, quae cum intelligentia sunt efficientes pulcherrimarum rerum, atque optimarum, de ijs, quae uacantes prudentia, inconstantia, perturbataq. efficiunt. Ac de oculorum quidem causis, ut haberent eam uim, quam nunc habent, satis ferme esse dictum puto. maxima autem eorum utilitas donata humano generi deorum munere deinceps explicetur. rerum enim optimarum cognitiones nobis oculi attulerunt. nam haec, quae est habitata de uniuersitate, oratio a nobis haud umquam esset inuenta, si neque sidera, neque sol, neque caelum sub oculorum adspicuum cadere potuissent. nunc uero dies noctesq. oculis cognitae, tum mensurum, annorumq. conuersiones ad numerum machinatae sunt, & spatium temporis dimensae, & ad quaestionem totius naturae impulerunt. quibus ex rebus philosophiam adepti sumus: quo bono nullum optabilius, nullum praestantius, neque datum est mortalium generi deorum concessu, atque munere, neque dabitur.

Multa desiderantur.

## EXPLANATIO

**A**LIOS in terra, alios in luna, & Terram & Lunam accutandi casu, rectius legetur. Graeca quidem uerba significant, Solem & Lunam, non Terram & Lunam. τούς μὲν εἰς ἡλίον, τοὺς δ' εἰς σελήνην. Haec Paullus pater. DEINDE ut huic animanti &c. Si Graeca uerba sequamur, ita corrigemus: Deinde ut huic animanti principes se, ducesq. praerberent, uitamq. eius pulcherrime regerent, & gubernarent, nisi si ipse sua culpa sibi aliquid miseriae quaereret. καὶ πάνθ' ὅσα ἀκόλουθα ἐκείνοις ἀπεργασάμενοις ἀρχεν, καὶ κατὰ δυνάμιν ὅτι κάλλιστα καὶ ἀρίστα τὸ θνητὸν διακυβεύειν ζῶον, ὅτι μὴ κακῶν αὐτοῦ ἑαυτῷ γίγνοιτο αἴτιον. Haec Paullus pater. **MODO** hoc, modo illuc. Post haec uerba, ubi spatium in nostris libris est, amplius lxxx uersus desiderantur. Haec Paullus pater. **CUM** ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os offusus, se confudit, & contulit. Non nihil deest: nam in Platone sic. τὸ περὶ τὸ πρόσωπον πυρὸς, τῷ περὶ τὴν ἄνω πυρὶ, περὶ τὸ λαεὸν καὶ λαμπρὸν συμπαγῆ γιγνομένη. **ADIUVANTIA** causarum, & lego, Adiuuamenta causarum, & ex Maffei libro, & ex Platonis uerbo: quod enim ille dixit, ἑνωαίτια, recte uertit Cicero, Adiuuamenta causarum.

CICERO



ILL.<sup>RI</sup> ADOLESCENTI  
STANISLAO NIEGOSSEVSKI  
P O L O N O



**P**TIME cecidit, Stanislae praestantissime, ut, quod ego summopere optabam, id Tu uicissim optares. Nota mihi Tua uirtus erat. nota Tuarum laudum gloria. restabat, ut Tu mihi, ego Tibi de facie notus essem. maximopere igitur deuinctum me esse profiteor Gabrieli Cauatio, ingenij, & iudicij laude praestanti, qui effecit, non solum ut Te nossem, sed ut Tuum congressum, excellentemq. uirtutem gustarem. Ego Te magni faciebam. nunc fateor, uicisse Te opinionem meam: diuinumq. ingenium Tuum esse, a uulgo longe remotum; qui ea praestes, quae homines neque mirari satis pro dignitate possunt. O te felicem. o me quoque felicem, cui contigit Te nosse, Tuaeque amicitia frui. Fac, quaeso, diutius nos non esse in Tui desiderio. neque Tuam praesentiam nobis nega; qui, Te praesente, aliquid sumus; absente, nihil prorsus esse nobis uidemur. Ut igitur mei memoriam Tibi renouem, haec ad Te mitto, Arati uersus a Cicerone conuersos: Poetam Poetae: malum Poetam bono Poetae. Librum de Vniuersitate Critonio meo, uel mortuo, dedi: Tibi, Critonij laudatori ne dicam, an aemulo? an utrique? an superiori? Aratum do. Mirum, dum scribo, me inflammat Tui uidendi desiderium. totos dies tecum libenter essem: qui ex Tua consuetudine maximum fructum capio. Tu uersus non scribis, sed fundis. Ut uere Poetam te natum esse omnes iudicent. Non Tu Thomam Peregrinum, in celeberrimo isto Patauino Gymnasio Metaphysicen, eximia sui gloria, & auditorum utilitate, publice docentem, mortuum in funere carmine, ex tempore publice laudasti? Quid plura? Nae, qui Te laudare uult, neque initium, neque finem reperiet Tuarum laudum: quae cum maximae sint, & immortales, immortalis praeconio dignae sunt; & Te ipsum laudatorem quaerunt. Redeo igitur ad primum illud: Fac, Venetias reuertens, ut possimus Te regustare; & omnibus Tuam uirtutem communicare. occultam enim esse non ego facile patior: neque ea esse uult. modestus sis, quantum